

05

A

2062





DISPUTATIO PHRSICA

De

MONSTRIS.

Quam

Deo Ter Opt. Max. auxiliante

In celeberrimâ Wittebergensi Academia

Sub Præsidio

M. JOHANNIS Sperlingen

Lauchâ-Thuringi, Physices Professoris

publ.

Examini publico proponit

SIMON GÜTZIUS Crimmicens. Misn.

Alumn. Elector. Saxon.

Ad diem 26. Novemb. horis à 7. matutin.

In Auditorio Majori.



WITTEBERGÆ,

Typis hæredum GEORGII MÜLLERI,

ANNO M. DC. XXXV.



054 2062





Jova juva!

Ausonius.

Incipe, dimidium facti est coepisse, superfit
Dimidium, rursus hoc incipe, & efficies.

DISPUTATIO PHYSICA De MONSTRIS.



Peciosa mundani theatri species
quoties penitare satagit Physicus, non
potest non omnem in modum de sum-
mâ gloriari pulchritudine. Pulchrum
enim est cœlum, pulchræ stellæ, pul-
chrum quicquid totus habet orbis.

Quæ pulchra omnia nil nisi primum, & unum pul-
chrum plenis decantant buccis. *Quàm speciosa sunt ope-
ra Domini, Ecclesiasticus ait, quamvis vix scintillulam isto-
rum spectemus. Vigent omnia, atq; in omne seculum perma-
nent, & ad omnes usus ei obediunt. Gemina sunt omnia, &
unum contrarium alteri, nec quicquam factum est, quod
mancum sit. Alterum confirmat bona alterius. Et quis spe-
ctando gloriam DEI satiabitur? Altitudinis firmamentum
pulchritudo ejus est, & species cœli visu præclara, Sol exortu*

A 2

suo



175
suo diem annunciat, & opus admirabile est Altissimi. In meridie torret regiones, & quis ardorem eius ferre poterit? Tertantò magis montes exurit, quam qui fornacem sufflit accendendis operibus, vaporem igneum exhalat, atq; splendore radiorum oculos obcaecat. Magnus est Dominus, qui fecit illum, cuius iussu iter accelerat &c. Hæc ille, & nos cum illo. Cælum enim, Sol, Luna, cætera stellæ, iris, nix, fulmen, grando, tonitru, ventus, pruina, glacies, nebula, omniaque & singula Domini opera pulchritudine summâ summè suum commendant, & concelebrant Creatorem. Quamvis dixerimus multa, iterùm dicit, docetque Ecclesiasticus, tamen in verbis deficiemus. Summa dictorum est, ipsum esse omnia. Ad laudes illius explanandas quæ nostra est facultas? Ipse enim maior est omnibus suis operibus. Terribilis est Dominus, perquam magnus, & mirabilis potentia ejus. Quantum potestis, extollite Dominum laudando, sed adhuc omni laude major erit. Colligite vires exaltando, nec tamen laudando laudem ejus æquare poteritis. Quis videbit eum, & enarrabit? Et quis magnificabit eum sicut est ab initio? Multa abscondita sunt majora his: nam operum Domini paucissima videmus. Omnia autem Dominus fecit, & pius dedit Sapientiam. Sed quò tendimus? Pulchritudinem illam horrenda nonnunquam & enormia τέρατα ac κρύβητα si non deformare, tamen obscurare videntur. Nam præter illas mundi species speciosas interdum germina quædam prodigiosa & horrenda, Monstra Latinis nuncupata, sese ostentant. Olim Africa semper quid novi afferebat, sed hodiè etiam Europa habet, quæ novitate non carent, Nullus enim

535.

enim fermè locus, & nullus angulus à spectaculis istis liber est. Et pueri & juvenes & senes Monstra aliquot visu, auditu, tactu, omniq; fermè sensu, notarunt. Nos ergò qui etiam in minimis ac mutilis quid latitare quod animum veritatis avidum oblectet novimus, foetus illos deformes examinare & contemplari conabimur. Ne autem hæc Monstrorum contemplatio monstroræ mentis audiat manifestatio, faxiville à quo nil nisi pulchrum, nil nisi formosum.

THESIS I.

Statim, dùm rem cum Deo nostro aggredimur, & Materiam de Monstris perquam amabilem sub incudem revocamus, scire necessarium esse opinamur, *an Monstra dentur?* Nam si tantùm fabulosa sit de illis conceptio, neque satis firmis probari possit argumentis, nil erit, quod tractamus, aut si aliquid, inanis erit labor. Itaque haut vanè id passim in suis scriptis observant eruditi, quos in hoc nostro de Monstris negotio sequemur, indagaturi: 1. *An sint Monstra.* 2. *Quid sint.* 3. *Qualia sint.* 4. *à quibus causis profisciscantur & dependeant.*

II. Quamvis autem affirmativa satis cognita, & explorata sit: attamen ex abundantia eam duobus argumentis munimus, & uberrimè demonstramus, quòd reverà Monstra sint. Plures quidem rationes, seu argumenta, quæ etiam unumquemque ad satiem usque hac in parte erudire sufficerent, afferre possemus: Sed non tam quantitate, quàm qualitate certare gaudebimus.

Monstra esse probatur.

III. Primùm ergò Monstra esse, seu nasci, hoc obtinemus argumento: Quarumcunque rerum verè dantur nomina, eas & ipsas dari necesse est. Jam vero Monstrorum verè dantur nomina. Ergo Monstra quoque ipsa dari necesse est. Major ita probatur. Nulla res, quæ non in naturâ existit, veram nominis suscipere potest rationem. Nomina enim sunt rerum nomina. Et si res aliqua non sunt, aut in naturâ non existunt, illæ etiam non possunt

nomen participare: si autem illud participant, nullum dubium est, quin in rerum naturâ inveniuntur. Ut taceamus, quod nomina non rarò rei Entitatem manifestent, aut quid res sit indicent. Quatuor enim hæc se invicem bellè sequuntur: 1. Res. 2. Conceptus. 3. Verba. 4. Literæ. Minor patescit ex lectione saniorum, seniorumq; Autorum, qui in scriptis suis diversa Monstrorum nomina recordantur. Et ut pauca eorum recitemus, quot Bicorpores, bicipites, semiboves, monoculi, & mutili memorantur, ac describuntur? Neque illa nomina vulgus, aut fabularum scriptores saltem usurpare, sed & veri sapientes, qui res in rerum naturâ existentes nominibus adæquatis vocare consueverunt.

IV. Deinde pro confirmandâ nostrâ opinione ita argumentamur: Quicquid quotidiana monstrat experientia id negandum non est. Monstra quotidiana monstrat Experientia. Ergo Monstra neganda non sunt. Major defendit semetipsam. Minor si absque probatione non feratur, audiamur amplius.

V. Hippocrates, Aristoteles, Conradus Lycosthenes, & M. Christophorus Irenæus egregium hinc Monstrorum nobis propinant Catalogum, unde facillè id usurpare possemus, quod licebat in familiâ Xenophontis, qui ita: si à me ignem quis aut aquam forte non habente populerit, locum unde hauriat ostendam.

VI. Ut tamen quædam memoremus, ^{EVII} Monstrum ingens & horrendum est, quod Anno Christi 591. visum fuit. Cùm enim isto anno Cæsar Mauritius filium suum Theodosium coronâ Cæsareâ decoraret, & cum Persis pacis fœdera sancivisset, mulier quædam in Thraciâ peperit infantem carentem oculis, superciliis, brachiis, & manibus; & sub coxis desinebat in caudam piscis, quæ sursum se jactitabat.

VII. Anno 596. Constantinopoli in suburbio duo infantes nati sunt formâ innaturali: alteri enim duo fuerunt capita: alteri pedes 4.

VIII. Item anno 1172. infans biceps, tria brachia, totidemq; pedes habens apud Xanthum fuit visus.

IX. An-

IX. Anno 1393. in Archiepiscopatus Trevirensis quodam pa-
go, quem Breeham vocant, natus est infans, cujus inferior corpo-
ris pars erat formæ humanæ, superior autem tetri bufonis, ut om-
nibus videntibus timorem, & horrorem incusserit.

X. Anno 1523. Luneburgi non procul ab Hamburgo scrofa
enixa est Monstrū, cujus caput hominis erat facies, longum & por-
rectum nasum habebat, in vertice glabrum, & depile instar rasi
Monachi, & coronam velut in monachis conspicitur, collum gru-
is: brachia, femora, pedes, manus prorsus humanas habebat, di-
stentum, & rotundum ventrem, brachiis alatum erat, & plumis
femora vestita fuerunt.

XI. Anno 1544. in Saxonia Mense Februario infans natus
est horrendo aspectu: corpore quidem integro, & benè compacto,
sed contusus, laceratis, atque laxatis membris omnibus; excepto ca-
pite oblongo, & quasi Turcico pileo insignito.

XII. Eodem anno in die Conversionis Pauli in Belgico (si-
cet non desint, qui Cracoviæ scribant) natus est infans ex honestas
& nobilibus parentibus, teter admodum & horribilis aspectu,
flammeis oculis & radiantibus, ore, naribusque bovinis, cornu fi-
gurâ exertis, ac prominentibus, dorso pilis caninis hispide, simia-
rum faciebus in pectore extantibus, quæ mammaram locus, oeu-
lis felium subtrus umbilicem hypogastrio adfixis, tetrīs ac minaci-
bus canum capitis ad utrumque cubitum &c.

XIII. Augustinus quoq; horrendum suo tempore Monstrum
in lucem fuisse editum commemorat lib. 16. de Civitat. Dei, cap. 8.
Ante annos aliquot, inquit, nostra certè memoria in Oriente na-
tus est homo duplex superioribus membris, inferioribus simplex:
duo erant capita, manus quatuor, venter autem unus, & pedes duo,
sicut uni homini, & tamdiu vixit, ut multos ad eum videndum fa-
ma attraheret.

XII. Pro



XIV. Probatum satisfuisse speramus Monstra haberi: propterea relicta quaestione an sint, quaestione quid sint aggredimur. Id effecturi prius experiamur necessum habemus, an Monstra possint perfecte definiri? Multi id fieri posse autumant: nobis autem Negativa, cum Monstra ad nullum praedicamentum directe, & per se referantur, arridet. Argumentamur: Quicquid directe in nullo praedicamento est, illud perfecte definiri non potest. Atqui Monstrum directe in nullo praedicamento est: siquidem non dat Thema substantiale perfectum, sed imperfectum, & concretum, quod duo simul notat, naturalem nempe substantiam, & huic substantiae adhaerentem defectum. Ergo & Monstrum perfecte definiri non potest.

XV. Ast audiamus hic nobis obloquentem. *Arnoldus Verbel*, Philosophiae Professor in Academia Frisiorum, quae est Franqueurae, in sylvae selectissimarum quaest. lib. 1. c. 10. q. 3. asserit, Monstrum perfecte definiri posse. Rationem dat hanc, quia imperfectum, reducitur ad idem Praedicamentum, in quo est perfectum. Ergo Monstrum tanquam imperfectum habebit suum praedicamentum, & p. c. suam etiam definitionem. Verum Arnoldus quod oppugnat, propugnat. Si enim Reductive Monstrum est in Praedicamento, non tam Definitione, quam Descriptione gaudebit.

Monstrum quid sint, docetur. XVI. Quoad Descriptionem ipsam, varii varias recitant. Communissima est haec: *Monstrum est effectus naturalis à recta, & solit à secundum speciem dispositione degenerans*. Ex Arist. 2. Phys. c. 9. t. 82. & 4. de generat. animal. c. 4.

XVII. Dicitur *effectus*: datur enim hic aliquid, quod producitur, licet depravatam sit; adest naturae actio, licet vitiata; format virtus, licet pravè formet.

XIX. Dicitur *naturalis*: ut excludantur Monstra, quae in artificialibus suo modo fieri solent. Artifices enim non nunquam effectum pravè productum Monstrum appellare convèvere. Et non nulli illum etiam cujus virtutem valde admirantur, Monstrum vocant, ideo forsan quod non intra communes hominum cursus permaneat, sed reliquos omnes suà virtute, & gloria vincat, & quasi aliquid singulare, quod non quotidie accidit, denotet. Sed haec appella-

537.
pellationes non id, quod nos intendimus, important. Improprie enim, & κατ' ἀναλογία ita vocantur.

XIX. Dicitur à rectâ dispositione degenerare. Nam ubi nulla obliquitas, nulla deviatio, nulla exorbitatio, ibi nullum Monstrum. Et causas, quare natura non nunquam deviet, & effectum mutet in defectum, seu ex τῆς Φύσεως ἔργα, faciat παρέργον, ἢ ἀμείκτημα, dabimus in fine nostræ Disputationis.

XX. Dicitur à solitâ Dispositione degenerare. Effectus enim qui Monstrum dicitur, rarò fit: propterea homines in admirationem sui deducit: Sic rarò fiunt bicipites, monoculi &c.

XXI. Dicitur ultimò secundum speciem degenerare: id quod dupliciter fit: 1. Si similitudo specifica cum proximâ causâ mutatur. Sic mulus nec cum equinâ, nec non asininâ specie convenit. 2. Si partium dispositio speciei vi generationis debita mutatur. Tale Monstrum est, homo biceps, quadupes &c. Rectè igitur admonet Excell. & Clariss. Dn. Præses in in Disputatione quadam: Non necessarium est, ut Monstrum semper sit alterius speciei ab effectibus solitis, & consuetis.

XXII. Hæc communiter. Apertius dicimus: *Monstrum est effectus naturalis cum insigni aliquâ deformitate, à causâ deficiente & aberrante productus.*

XXIII. Hic etiam his moveri solet, an Monstra mundum reddant pulchriorem? Quidam enim varietatem delectare videntes, etiam Mundum monstris præditum pulchriorem esse autumant, quàm si illis foret orbatus. Verùm deforme quod est, nihil ornat, nihil perficit.

XXIV. Tertio loco quod præstare promissimus, erat, *qualia sint.* Omnium rerum differentias rectè explicare, & singulas in suum locum collocare, insignem iudicii dexteritatem requirit. Sed ne videamus fidem fallere divisiones non nullas, quas ante sexennium in Disputatione quadam publicâ de Monstris, ut & hæctenus in Lectionibus suis publicis Clariss, & Excell. Dn. Præses proposuit, producemus.

XXV. Monstra scilicet alia speciem mutant, alia speciem

*Qualia sint
exhibetur.*

servant.

B

XXVI. Quæ

XXVI. Quæ speciem mutant, ab aliis effectis rectis, & perfectis planè specie differunt, ut muli.

XXVII. Quæ speciem servant, sunt quæ ab aliis effectis, rectis, & perfectis, specie quidem non differunt, sed tamen alia quadam enormitate ab iis discrepant, ut bicipites, monoculi &c.

XXVIII. Et hæc vel circa sexum, vel sexu illæso circa constitutionem aliarum partium sunt.

XXIX. Circa sexum, ubi id quod nascitur vel est sexus dubii, vel sexus utriusque, ut sunt Hermophroditi.

XXX. Circa constitutionem aliarum partium Monstra imprimis sunt quatuor modis: 1. ratione numeri. 2. Ratione Magnitudinis. 3. ratione unitatis. 4. ratione Conformationis.

XXXI. Ratione Numeri peccatur vel in Excessu, quando pars quædam adest, quæ abesse debebat. v. g. Si infans habeat duo capita, tres oculos, quatuor pedes &c. In defectu, quando pars quædam abest, quæ adesse debebat. v. g. Si infans non habeat ea, quæ habere debet, & vel multis, vel quibusdam partibus ad rectam humani corporis constitutionem pertinentibus privetur: Si scilicet nascatur absque brachiis, absque pedibus, absque capite &c.

XXXII. Ratione Magnitudinis itidem Monstrum aliud est in Excessu, aliud in Defectu. In Excessu quando vel totum corpus plus justo adaugetur, vel quædam pars insigniter excedit. v. g. cum nascuntur macrocephali, gigantes &c. In Defectu, quando vel totum corpus enormiter à communi mensurâ recedit, vel quædam pars à justâ magnitudine deficit. v. g. cum nascitur homo curtorum brachiorum aut pedum &c.

XXXIII. Ratione Unitatis Monstrum est, quando partes vel contiguitatem, vel continuitatem debitam amiserunt. v. g. cum nascitur infans apertis nimium multumque hiantibus labris &c.

XXXIV. Ratione conformationis iterum magna Monstrorum surgit series. Alia peccant in figura, alia in superficie, alia

alia in situ, alia aliter. v.g. cum nascitur infans ejus oculi sunt in mediâ fronte, nares in lateribus, & aures in occipite. De hisce qui multum tēporis habent, multa loquuntur, nos taceamus.

XXXV. QUÆSTION. An miracula sint Monstra? N. Admiramur quidem ejusmodi opera, quæ admiratione digna sunt, non autem omne mirabile monstrum est. Cū ergo Miracula sint Naturæ Naturantis opera, non Naturæ Naturata, ad Monstra non spectant. Cū etiam sint supra naturam, non contra naturam; cū sine ullo causarum secundarum fiant defectu, ac sine ullâ illarum luctâ & repugantiâ, Monstra esse ac dici nequeunt.

XXXVI. An Spectra sint Monstra? N. In Monstris datur quædam naturæ actio, licet vitiosa: format virtus, licet prævè formet; adest materia, licet corrupta, divulsa, pauca &c. ut supra admonuimus. At Spectra non sunt inter naturæ έργα. Ergo nec inter ejusdem πάρεργα. Fiat tale Argumentum. Quæcunque non sunt inter naturæ έργα, illa etiam non sunt inter naturæ πάρεργα, seu ἀμαρτήματα. Spectra non sunt inter naturæ έργα. Ergo.

XXXVII. An Mulus sint Monstrum? A. Cursus naturæ hīc inrecipitur, quò minus effectus perfectus produci queat. Equus enim non intendit, generare asinum, neque asinus equū, sed uterque horum sibi simile. At tamen ex commistione seminis equini, & asinini, nec asinus, nec equus, sed mulus producit, qui de utriusque ratione, & qualitate aliquid participat, & tamen imperfectum quid denotat.

XXXVIII. An Monstrum intendatur à Natura? Distinguiamus inter Intentionem Primariam, & Secundariam. Primaria intentio est, quam natura primūm præ oculis habet in suis operationibus. Secundaria quam habet, primaria locum non habente. Natura ergo sicut ipsa perfecta, ita sibi simile quid vult generare intentione primariâ: cū autem non potest eò pervenire, quò tendit Monstrum producit. Intendit itaque Natura Monstrum non primariò, sed secundariò.



XXXIX. An qui nascitur cum maculis sit Monstrum? N. Maculae, quas natura alicui, vel in facie, vel in thorace inussit, non faciunt Monstrum, v.g. cui verruca, aut tuber in digitis in nascitur, ille non statim ob istam notam, quae eum natura notavit, Monstrum est. Ratio quia non nisi enormis deformitas Monstrum efficit.

XL. An unum magis sit Monstrum, quam alterum? A. Sicut unum vitium alterum gravitate excedit: ita Monstra ob majorem, vel minorem obliquitatem diversificantur, & quod major est curvitas, seu de viatio à rectâ, & solitâ dispositione, eò gravius est Monstrum. v.g. Ille qui uno pede destitutus est, & econtrâ duo capita habet, gravius Monstrum aestimatur, quam is, qui uno saltem pede privatus fuit, & ceteras corporis partes salvas habet. Verbo dicam: quanto gravior naturæ declinatio, tantò gravius ipsius vitium est.

XLI. An ex congressu hominis, & bruti perfectus homo generari possit? N. Socia enim & Partialis causa sola effectum producere nequit. Propterea enim socia est, & dicitur, quia alterius consortium, & concursum efflagitat. At unicus homo in generationis actu stat pro causa socia, & Partiali. Ratio enim sexus id postulat. Nec cogitandum brutum homini junctum vicem reliquæ supplere causæ. In tantum enim saltem hoc facit, sed non in totum.

XLII. An Coboli, vel Kobaldi sint Monstra? N. De hisce duo proponunt genera. Prius eorum est, qui hominibus terrorem incutiunt. Posterius illorum, qui servitia domesticâ suscipiunt, & incolis inserviunt. Hi nemini nocent, sed mandata fideliter expediunt, nisi cachinno, & maledictis excipiantur. Utraque genera à censu & classe rerum naturalium cum excludantur, etiam à Monstris excludenda veniunt.

XLIII. An Nymphæ, & mulieres aquaticæ sint Monstra? N. Non enim has natura generat, ergo etiam in iis producendis non aberrat. Diabolus qui diu noctuque hominibus insidiatur, ita retia tendit, quod incautos capiat. Ex Elementis sibi corpus adornat, atque sic in lacubus, & fluviis (permittente Deo) multos necat.

XLIV. An

XLIV. An Pygmæi sint Monstra? A. Quidam hac de re sic differunt. Distinguendum est inter naturæ Intensionem & Deviationem. Natura in Pygmæo non majorem staturam exigit, sed illam, quam intendit, assequitur. Propterea falsum erit, naturam impediri; falsum, Pygmæum aberrare à rectâ & solitâ Dispositione secundum speciem. Et contingere potest, aliquem propter seminis exiguitatem, atque adeò humoris ac alterius paucitatem staturâ admodum parvâ nasci. At ille non statim Monstrum salubatur; siquidem in eo Natura remittit, non autem perturbatur. Hac illi. Verùm in Monstrorum productione non omnem naturæ abesse intensionem dictum est suprâ. Abest scilicet intentio Primaria, adest Secundaria. Et cum nihil fiat sine causâ, etiam Monstra causas suas agnoscunt, quæ utique non rarò in materiæ vitiis habentur. Pygmæos ergò pro Monstris habemus, quia à quantitate speciei debita deficient.

XLV. Superest ut mentem nostram de causis explicemus. Quandoquidem & bonum & malum suas causas agnoscunt. Nullum ergò dubium est quin Monstrâ causas, quare existunt habeant. Cum enim nullum ens ex se malum sit, si malum est, ab aliquâ causâ tale erit. Et cum nihil nisi quod à perfectione sibi dicitur recedit, malum sit, cur recedat causam sanè habebit vel agentem, vel impediens, vel deficientem, vel aliam.

XLVI. Mira verò hic causam profertur varietas. Nam si consulamus Theologum Theologicè, si Medicum medicè, si Mathematicum Mathematicè, si Physicum, Physicè, si Ethicum, Ethicè erudimur. Sed quia nobis res est cum Physico, salutamus Physicum, qui duas nobis præscribit, quarum 1. est Materialis, seu Subjectiva. 2. Efficiens; adeoque omne Monstrum illi fit vel vitio Materiæ, vel vitio efficientis.

Monstra à quibus causis proficiscantur demonstratur.

XLVII. Materia est semen, quod Monstri causâ tribus modis fit. 1. Si deficiat. Tunc enim nulla sequitur partium, seu membrorum integritas, & infans justam quantitatem non assequitur. 2. Si abundet. Tunc enim nulla sequitur partium, & membrorum proportio, sed vel omnia vel quædam membra numerum aut magnitudinem excedunt: 2. Si diversa semina à diversis speciebus



conjungantur. Tunc enim qualis causa est, talis etiam effectus fit. Sic oriuntur muli, alique effectus Deo, & naturæ abominabiles. Hisce annectimus sanguinem menstruum, qui cum faciat ad carniū generationem, necnon infantis nutrimentum pro suo vel defectu, vel excessu etiam infantem vel majorem, vel minorem, vel aliter depravatum reddere potest.

XLVIII. Causa efficiens varia est. Dividi potest in Primariam & Secundariam. Primaria est partim vis Formatrix, partim Phantasia. Secundaria est locus, qualitas aliqua, & accidentia cætera. Inprimis autem hîc mira phantasiæ notanda est virtus. Hæc enim in mutatione, & signatione fatuum plurimum valet, & vel sola præstat sæpè, ut patrem suus conterreat infans. Tantum.

DEO NOSTRO SIT GLORIA.

Corollaria.

1. An in Plantis sit Monstrum? A.
2. An certa cibi quantitas præscribi debeat? N.
3. An vita per bonam Diætam prolongari possit? A.
4. An quis temperantiæ modum excedat, si plus edat, & bibat quàm alter? N.
5. An studia literarum felicius tractentur ab ebriis, quàm sobriis? N.
6. An detur vacuum? N.
7. An Cognitio Physices sit usui Studioso Theologiæ? A.
8. An Contemplatio Monstrorum pertineat ad Physicam? Dist.



Ad Doctissimum

Dn. Respondentem.

Nugamenta serant alii, qui murmura rauca
 De rebus crepitant & sine mente sonos.
 Quod pectus saturet Tu GÖTZI quarere gestis,
 Qui Sophiam veram mente sagace colis.
 Esto quod es GÖTZI, præclara brabæa sequentur,
 Et tibi sudanti gaudia mille dabunt.

Fund.

M. JOHAN. Sperling /
Prof. P.



UT miles laudum cupiens, statuiffe trophæum
 Tentat, & hinc Martis bella frequenter adit.
 Haud secus ingenti, GÖTZI, virtutis amore
 Ardens, Musarum creber agona subis.
 Ex Ethicis nuper nostro exquitienda Lycéo,
 Ingenii fætus, Scripta polita, dabas.
 Publica nunc iterum scandens tabulata Cathedræ
 De Monstris etiam differuisse paras.
 Et dubites quin Te tanti mansura laboris
 Præmia sint? non sic: Sedulus usq; vires.

Macte



Macte diis captis! nã jam meditatur Apollo
Imposuisse tuis cœrula ferta comis.

*Gratulabundus adjiciebat amico
suo intimo*

CHRISTOPH. Schulz.
Neoforo - Siles.



Sic est, post Ethicas, Physicas quod colligat atq;
Disputet ipse theses GÖTZIUS egregias.
Non fallo; testis res ipsa. Insiste labori
Tu saltem GÖTZI, digna brabèa feres
Nec servos cura morsus, nec spicula Momi,
Livor virtutes excipit usq;. Vale.

Insinuabat

SALOMON Frierich.
Crimmicent - Misi.

F I N I S

05 A 2062

ULB Halle
003 784 754

3



1017

Oh





533.
49

DISPUTATIO PHVSICA

De

MONSTRIS.

Quam

Deo Ter Opt. Max. auxiliante

In celeberrimâ Wittebergensi Academia

Sub Praesidio

M. JOHANNIS Sperlingen
Lauchâ-Thuringi, Physices Professoris
publ.

Examini publico proponit

SIMON GÖTZIUS Crimmicenf-Misn.
Alumn. Elector. Saxon.

Ad diem 26. Novemb. horis à 7. matutinis.

